

F. K. 62

41

Z c
7471

FAVSTA ACCLAMATIONE
VIRVM

PLVRIMVM REVERENDVM CLARISSIMVM
DOCTISSIMVMQVE

M.CHRISTIANVMGODOFRE-
DVM MULLERVM

VVIESENTHALENSIVM COETVI
A SACRIS

NVNC SPONSVM

VIRGINEM LECTISSIMAM OMNIBVSQUE ORNAMENTIS
FLORENTISSIMAM

ANNAM DOROTHEAM
FABRAM
SPONSAM

PRIDIE KALENDAS MAIAS

clo CCCVIII.

BEROLINI

FIDE CONNVBII SIBI CONIVNGENTEM
ALLOQVITVR

HENRICVS AVGVSTVS SCHVMACHERVS.

DRESENAE EX OFFICINA HARPETERIANA.





nnus fere praeteriit , cum Dresena Te,
PLURIMUM REVERENDE VIR,
excepit , et usus mihi Tecum ac necessitudo
intercessit,nec ingratum saepe colloquium fuit.
Ex eo tempore doctrinae eloquentiaeque Tuae
laudem non ex opinione quadam , sed ex veri-
tate , consuetudine quippe Tua commotus ,
magnopere aestimavi. Postea vero quam non
sine nutu providentiaque coelesti ad sacra
VVIefenthalensium obeunda evocatus , fructu
amicitiae Tuae mihi nunc est carendum. Quod
tamen vel eo libentius Tibi concedendum pu-
to , quo majore laetitia sum affectus , hanc Ti-
bi provinciam praeter omnem exspectatio-
nem commissam creditamque esse , quam diu
multumque exoptasti. Quare jure quodam
meo id mihi sumo , ut fausta acclamatione Te
alloquar , praesertim cum novum laetandi gra-
tulandique argumentum suppeditet dies ille ,
quo Te SPONSUM omnes vident , et laeti atque
alacres ANNAM DOROTHEAM Tibi ad-
duci , intuentur. Quam sine exemplo Virgi-
nem inter plures eligere , fideque connubii Ti-
bi conjungere non dubitasti , propterea quod
virtute praestantem , omnibusque ornamentis
florentissimam , praesens cognoviisti. Non casu ,
fateor , sed consilio factum est , ut probitate mo-
rum-

rumque innocentia cognitam , vitæ pariter et
fortunarum sociam , deligeres , ac spei industriae
aeque constitueres mercedem . Tantum enim
abest , ut foedera societatesque castissimæ et temere
ac fortuito fiant , ut potius Numen divinum
Auctorem Statoremque agnoscant . Magna
omnino haec rerum Tuarum commutatio est ,
cum SPONSA Tua meliorem aut feliciorem elige-
re vix ac ne vix quidem potuisses . Qui enim
SOCER propensa in Te voluntate fuit , et vitam ,
mores , doctrinam vehementer probavit , Te
generum sibi asciscere , et filii loco habere , mi-
nime dubitavit . Quae felicitas , cum gaudio et
suavitate conjuncta , magni profecto est aesti-
manda , nec minus eam SOCER , qui variis Tuis
dotibus mirifice affectus , quam una ANNA
DOROTHEA , pignus arctissimæ conjunc-
tions , Tibi adfert . Non Te fefellit ratio , CLA-
RISSIME VIR , cum solam hanc in oculis fer-
res , eamque non amandi impetu , a quo longe
abhorres , sed judicio juxta ac veritate amares .
Ad officium diligentemque cultum , quem Ti-
bi tribuet Virgo , si respicis , nil hac elegantius
invenisses , sin concordiam morumque similitu-
dinem desideras , qua majora in connubii foede-
re nobis promittere et simul sperare possumus ,
nil certius assequi potuisses . Haec opportune
Tibi consulet , doloresque leniet ac minuet ,
haec

26 haec mala quae subinde eveniunt, faciliora red-
det, haec magna animi alacritate, nec minori
constantia, molestias Tuas sollicitudinesque ex-
cipiet, et gravissimas curas scitis atque modestis
sermonibus levabit. Quo excellenti bono gau-
dere, et frui hujus exspectatione voti cum for-
tuna, tum gloria, tibi integrum est, nec facile
erit, quid, quod per paucis contingit, Tuae vir-
tuti invidebit. Facigitur laeto firmoque sis ani-
mo, et SPONSAM accipias in tori partem, eo que
huic amore respondeas, quo te non sine casti-
tate complecti solet. Ego, pro mea in Te vo-
luntate, Tibi, ut debedo, gratulor hanc feli-
citatem, optoque ut omnia fauste, feliciter, pro-
spereque, eveniant, et magnos labores sacros,
quos jam suscipis, magno semper cum gaudio
agas. Nec minus divinum ac praepotentem
Deum omnibus precibus imploro et obtestor,
ut diutissime salvum ac corpore et animo flo-
rentem Te praestet, ac SPONSAM, decus et or-
namentum novae dignitatis Tuae, servet, quo
ejus conspectu in perpetuum delectari possis, et
haec semel iterum et saepius Te patrem faciat,
omniisque ope et auxilio juvet. Sic futurum spe-
ro, ut de coetu Dei, qui fidei et curae Tuae com-
missus, bene mercaris, et vivam pariter no-
minis imaginem, et heredes Tuae lau-
dis similes, relinquas.

x 304 9838

Z c
7471

F.K. 62

91

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

	Centimetres	Inches
	1	1
	2	2
	3	3
	4	4
	5	5
	6	6
	7	7
	8	8
	9	9
	10	10
	11	11
	12	12
	13	13
	14	14
	15	15
	16	16
	17	17
	18	18
	19	19

FAVSTA ACCLAMATIONE
VIRVM
PLVRIMVM REVERENDVM CLARISSIMVM
DOCTISSIMVMQVE
M.CHRISTIANVM GODOFRE-
DVM MULLERVM
VVIESENTHALENSIVM COETVI
A SACRIS
NVNC SPONSVM
VIRGINEM LECTISSIMAM OMNIBVSQUE ORNAMENTIS
FLORENTISSIMAM
ANNAM DOROTHEAM
FABRAM
SPONSAM
PRIDIE KALENDAS MAIAS
cl 15C VIII.
BEROLINI
FIDE CONNVBII SIBI CONIVNGENTEM
ALLOQVITVR
HENRICVS AVGVSTVS SCHVMACHERVS.

DRESENAE EX OFFICINA HARPETERIANA.

